

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Canone Fidei

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Widmungsbrief

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-907)



REVERENDIS, PIETATE ET DOCTRINA PRÆSTANTIBVS VIRIS, FIDELIBVS DEI SERVIS, ECCLESIA-
rum Gallicanarum Pastoribus, & Senioribus, in Synodum Nationalem
coactis: Dominis, Patribus, ac Fratribus in Christo pluri-
mum obseruandis.

Quemadmodum, non sine grauissimo dolore, hac seculorum senecta, sancti quique & cordati viri, Mendacij Patrem falsos è specu sua Doctores, Tyrannidis sue satellites emittere subinde vident, qui nullum non mouent lapidem, vt, quo iure, quave iniuria, cœlestem veritatem oppugnent opprimantque: Ita, non sine singulari animi lætitia, magna etiam cum admiratione, à Domino illo, qui nostra indutus carne in mundum venit, vt Diaboli opera dissolueret, complures veritatis vindices diuino Spiritu afflatos suscitari conspiciunt; qui pro semel tradita fide, viriliter vtiliterque decertent, eamque regni tenebrarum machinis impetitam, totis viribus tueantur, & illam seruent. Quo se pacto mira erga Ecclesiam Dei prodit benignitas & prouidentia, quæ, sicut ineunte vere, cum primum è terra cuniculis prodeunt serpentes ad nocendum parati, fraxinum, aduersus venenatos eorum morsus præsens remedium laturam, educit: sic aduersus huiuscemodi terra filios, qui venenum vipereo exitialius eiaculantur, varias nobis in horto suo præbet antidotos, consitas & excultas, quæ virentes florentesque, pharmacum salutare subministrant, virusque vel sua umbra propellunt. Viros, nimirum, pios & doctos, qui præclarum, quod à Domino acceperunt talentum, in terra non defodiunt, sed Christi regno promouendo, Antichristi tyrannidi euertendæ student solliciti. Quanta vero cum fide, industria, diligentia, ne quid de fructu dicam, in hac se exercuerit palastra, vt Spartam, quam natus erat, ornaret, DANIEL CHAMIERVS, parens meus, pia memoria, meum non est referre: vestrum potius, Reuerendi Viri, iudicare: qui perpetuos illius labores, & tum publicas, tum priuatas, disputationes frequentes, & viua voce habitas, & scriptis editas optime omnium nouistis. Imprimis vero eius rei fidem facit hoc Controuersiarum corpus, indefesso labore concinnatum, ad quod veluti centrum omnes studiorum eius lineæ referebantur, quodque ambitu suo vniuersam Controuersiarum de Religione aduersus Pontificios molem comprehendit, Ecclesie iam dudum consecratum: ubi, quicquid est in Romana schola stropharum, sophismatum, fraudum, ad veritatem obscurandam & falsitatem sufflammandam, detracto velo, seu potius larua discissa, detegitur & refellitur: ubi flos Romani exercitus, totumque cataphractorum Antichristi robur funditus profligatur: vno eoque iusto prælio vniuersi veritatis hostes conficiuntur, ita vt nulla supersint latebræ, effugia nulla. Non enim sigillatim paucos, sed confertos aggreditur, totamque aciei frontem ferit. Aduersus innumeros Philistæos vnus olim decertauit Samson: hic etiam solus & solitarius virtute cœlesti armatus tot hostium impetus, vt alter Horatius, vnus sustinet, & tandem abscisso ponte progressum negat, ad regressum cogit, ipseque armatus in flumen desilit; flumen illud, inquam,

EPISTOLA DEDICATORIA.

inquam, deliciarum Domini, in quod exceptus morte gloriosa, sed nimium prematura (nisi Deo sic visum esset) nobis ademptus, ac in cœlum turbine fulmineo, & quadrigis flammeis translatus est, unde delapsas has membranas, ut alterum Propheta palliolum, collegi avidus, ea ratione me omnes hæreson errorumque vortices exsiccaturum sperans. Utinam & mihi, quod olim Eliseo contigit, hisce oculis in altum ascendentem prosequi licuisset, & sepius hanc vocem ingeminando, Pater mi, Pater mi, currus Israelis & auriga eius, duplum eius spiritum consequi, qui mihi vires ad ea, quæ in hisce lucrationibus deficere posse videantur, perficienda, idoneas sufficeret.

Iam vero, siue authorem ipsum, siue opus, siue me quoque ipsum intueor, maximo iure huius operis inscriptio vobis à me debetur. Author siquidem is fuit, cuius, quandiu vixit, vobis iucunda fuit consuetudo, præsentia chara, nec ingrata futura, ni fallor, nunc vita functi recordatio. Quin & mortuus in memoria vestra adhuc viget & vivit, inque animi vestri gratia & favore nunquam non est futurus superstes. Porro vestro, ut norunt omnes, imperio hanc scribendi provinciam suscepit, animum, manumque ad scribendum, appulit, non iniussa canens: sub auspiciis vestris, quod opus inchoavit, hortatibus vestris animatus promovit, vestra quoque auxit liberalitate, quidni vestri iuris absolutum fecisset? Illudigitur, cuius ^{heredem} fueritis, quod antea Patris animus dicauerat, nunc filij manus offert.

Opus quoque est eiusmodi, ut, quo iure vos agnoscit Dominos, eodem in vestram seſe clientelam commendet. Nam, si id quidem parenti multum, vobis, quibus tam multa parens, plurimum etiam ipsum debere se profitetur. Adeoque ut fluminibus naturale est in Oceanum, quem suæ originis fontem agnoscunt, reuerti; ita ad vos merito redit, à quibus traxit originem. Præterea, ad quos potius spectent מלחמות יהוה Prælia Domini, quam ad eos qui panoplia sacra induti assidue bella Domini gerunt, in excubiis domus Dei vigilant, & attendunt ne quid Resp. Christiana detrimenti capiat: qui, veluti sexaginta viri fortes ex fortissimis Israel, lectum Salomonis ambiunt, ad bella doctissimi, quorum vnusquisque enssem super femur gestat propter timores nocturnos? Quibus potius debeat Panstratia Catholica, quam vobis Catholicae fidei propugnatoribus acerrimis, ducibus strenuissimis, qui gladium spiritus stringitis, & arma non carnalia, sed potentia Deo gestatis ad euersionem munitioſum, quibus consilia destruitis, & omnem celsitudinem elatam aduersus cognitionem Dei: & captiuam ducitis omnem cogitationem ad obediendum CHRISTO? Vestrum etiam est, Patres Venerandi, qui ad Ecclesie gubernacula sedetis, de hisce disputationibus cognoscere, iudicare, sententiam ferre.

Apud vos est Turris illa Dauidis ad quam appendendi clypei fortium virorum, suspendenda quoque opima hostium spolia. Per manus vestras in manus fidelium transferranda sunt ista ^{ἐπιχειρήματα}, imo ad Dei manus deferenda, cui consecrata; quemadmodum olim Sacerdotibus erant tradenda, quacunque oblationes ad Dei cultum ab Israelitis deferbantur.

Denique, quum in me ipsum oculos reflecto, quando suum cuique tribuere diuina omnia, humanaque iura precipiunt, nec me ipsum culpa eximere, nec ingrati animi notam, si hoc munus vobis denegauerim, effugere possum. Adde, quod apud omnes omnium ordinum ac gentium mortales lege sancitum, imo communi sensu receptum, ut qui parentum suorum hæredes existunt, eorundem nomina expungant. Quocirca ego, qui ex asse heres, hanc vobis vntiam dare damnas, quod iure debui, persoluo lubens; futurus; ni faxim, in parentem contumeliosus, in vos ingratus, in Ecclesiam malignus, in Deum sacrilegus. Accedit, quod hereditario quodam iure, potius quam vlllo meo merito, benevolentiam vestram consecutus mihi videor, ut iam in proxime habita Synodo, cui intereram, Nationali, prolixè agnouii: ubi vestram in me & familie nostræ commoda, non vno genere, singularem propensionem perspexi,

& rea-

EPISTOLA DEDICATORIA.

Et reapse sum expertus; quum ad operis publicationem viam sponte aperuistis, Et subsidio non contemnendo iuuistis. Deremetienda igitur aliquo modo gratia cogitare, gratumque erga vos animum, ob tot in parentem, atque in me ipsum collata beneficia, testari oportuit. Nec suppetebat commodior vlla ratio, quam si hunc posthumum, viuam patris pietatem, ingenium, ac doctrinam spirantem, in vestram tutelam traderem, Et, vobis Patronis, publici iuris facerem. Quem, vt vestro patrocinio fouere, benigne complecti, ac sartum tectum tueri velitis, impense rogo: Deum Opt. Max. precatu, vt vos amplissima Spiritus sua mensura dignetur, vestris sanctis laboribus cumulatissime benedicat, vos denique omnes pro sua clementia ad Ecclesie Catholicae bonum, diutissime seruet incolumes. Kalendis Ianuariis

CIO IO XXVI.

V V. R R.

Observantissimus

ADRIANVS CHAMIERVS.

